



Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

INFLAMMATIONE.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Viri ornatissimi,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

JOANNES BARCLAY,

SCOTUS.

Societ. Reg. Med. Edin. Soc.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXIV.



Viro illustri,

R O B E R T O H E R R I O T,

A R M I G E R O,

De Ramornie in comitatu Fifensi,

Virtutibus plurimis et publicis et privatis

Vere spectabili,

Et ab omnibus, quibus fit notus,

Magnopere dilecto,


Ob amicitiam veram, quam in se,

Suosque confanguineos,

Saepe generosus demonstravit ;

†

Item,



Item,

Viro honesto,

JOANNI BRUCE-STEWART,

ARMIGERO,

De SIMBISTER in insula Hethlandica,

Avunculo suo,

Benevolentia, humanitate,

Multisque aliis virtutibus, insignito,

Propter amorem fere paternum,

Quo se, totamque suam familiam,


Omni tempore benignus est profecutus,

Hanc dissertationem inauguralem,

Observantiae ergo,

D. D. CQ.

A U C T O R.



DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

INFLAMMATIONE.

CUM leges hujusce academiae florentissimae unumquemque, summos medicinae honores adipiscendi cupidum, aliquod progressum, quem fecerit specimen edere, et materiam aliquam ad hancce scientiam spectantem exequi jubeant, his, quantum in memet est, obsequi, et paucis igitur de inflammatione differere, statui. In dissertatiuncula autem, quam exarandam suscepim, ducem potissimum imitandum, illustrissimum Professore Cullenum mihi ob oculos
† A ponam,

2 DE INFLAMMATIONE.

ponam, ad ea, quae primis in Lineis Praxeos Medicinae curaverit tradenda, animum ubique diligenter attendens.

DEFINITIO*.

Febris fynocha; phlogosis, five dolor topicus, simul laesa internae partis functione; sanguis missus et jam concretus, superficiem coriaceam albam ostendens.

HISTORIA MORBI.

Inflammatiō est externa vel interna. Illa modo sequeute plerumque incipit. Ægrotus sensu frigoris et tremore, et, cum inflammatiō nunquam gravis vel universa sit, quin systema totum eodem tempore laboret, anxietate quoque, praecordiis oppressis, calore, siti, cibi fastidio, et vigilia afficitur. Cum sensus frigoris tremorque primum invadunt, pulsus arteriarum sunt praeter consuetudinem exiles, frequentes, et saepe abnormes. Prout vero signa proxime memorata

* Vid. Cull. Synopf. Nosol. Meth. p. 82.

morata decedunt, duriores, pleniores, minusque frequentes evadunt. Quinetiam in parte affecta insolita plenitudo et tensio semet ostendunt, et in eam invadunt rubor, calor, dolor, tumor. Si febris urgeat, omnis secretio et excretio immittitur, cutis arefcit, urina pallida est nonnunquam, sed saepe subrubra, et sanguis, si hoc tempore mittatur, aliam speciem, ac sanitate substante, prae sese fert, refrigeratus et concretus crusta albida, corium referente, testus. Cum vero non pauca inter eum detrahendum possint cavere, ne hanc sibi speciem assumat, ex ejus absentia non semper debet cogi inflammationem abesse. Insuper, si haec crusta exemplis in dubiis aliis signis adjungitur, inflammatio ponitur substantare.

Inflammationem internam subesse novimus, si una cum pyrexia adest dolor partis fixus, et functiones ejus libere et, uti debent, nequeunt exerceri.

Fines inflammationis sunt varii. Hos vero postea loco in suo aptius considerabimus.

EXPLICATIO

EXPLICATIO SIGNORUM.

Cum omnia signa, quae per decursum hujusce morbi possint accedere, fusc accurateque exponere, ut limites quibus dissertatio hujusmodi circumscribenda excederem, faceret, nihil aliud, quam ea, quae semet plerumque ostendunt, et igitur aliqua ex parte morbo sunt propria, illustrare aggrediar.

In historia supra tradita, hunc morbum a sensu frigoris et tremore, quae calor brevi excipit, incipere retuli. Haec signa alii auctores aliter explicarunt. Quidam ea a vitio humorum ipsorum, ut causa sua primaria, alii ab affectu vasorum quae sanguinem vehunt, proficisci contendunt. Non hic opinionis prioris argumentis convellendae morabimur, sed signa principis, quibus posterior innititur, exponere pergemus.

Inflammationes autem hinc plerumque proficiscuntur, quod partes nimis calefactae actioni frigoris subito objiciuntur, quod potestatem constringentem in vascula sanguifera cutanea edit, et

a partibus corporis extremis cor versus sanguinem repellit. Cum autem potestatis nervosae excitatio a quantitate sanguinis, quae in praesens in parte qualibet adest, evidentissime pendeat, nihil quo minus ponas obstare videtur, hunc frigoris sensum a vi nervosa et sanguine, fonte caloris animalis naturali, in parte deficere incipientibus, proficisci. Sanguis hoc modo cor versus repulsus, actionem ejus in tempus perturbat. Igitur pulsus arteriarum, dum frigus febrile dominatur, saepe abnormes esse comperimus. Cum vero cor admodum sit irritabile, tales ejus motus brevi excitantur, quales molem sanguinis retro pulsam vincunt, et ut semet ea vi, quae velocitatem sanguinis et calorem corporeum intendit, evacuet, faciunt. A qualicumque enim fonte oriatur calor animalis, velocitatem sanguinis et corporis calorem, quasi vinculo fere indissolubili, inter sese conjungi videmus. Sub hoc inflammationis tempus, ictus arteriarum pleniores et frequentiores.

Anxietas et praecordia oppressa per eandem vasculorum extremorum constrictionem, et sanguinem igitur cor, organa respirationis ventriculumque versus, retro actum possunt exponi.

Quantum

6 DE INFLAMMATIONE.

Quantum sitim spectat, haec, dum frigus febrile manet, a ductibus excernentibus, qui mucum in os et fauces, ne aër in hasce partes agat, cavendi consilio effundunt, spasmodice constrictis pendere videtur. Cum magnus infestat calor, hinc potest proficisci, quod partes oris fauciumque interiores, partibus mucii tenuioribus exhalantibus, arefactae, et mucro crasso et indurato obtectae, relinquuntur.

Quod ad cibi fastidium attinet, talem cutem inter et ventriculum consensum intercedere notissimum est, ut sedantia illi admota hujus debilitatem faciant, et igitur concoctionem cibi pravam fastidiumque moveant.

Corpus humanum, quadam oeconomiae animalis lege, somno vigiliaeque alternis destinari videtur. Cum vero dolorem et irritationem facientia illum possint interpellare, ratio vigiliae, inflammatione urgente, manifestissima.

Rubor, judicio nostro, modo sequenti facile potest exponi. Tunicae vasculorum superficiei corporeae tenues sunt, et, sanitate substantive, tam parum distensionis habent, ut sanguis per eas non clare sese ostendat. Si vero impetus sanguinis adaugeatur, plus hujus in vasa irrumpit, et tunicae igitur illis magis pellucidae redduntur.

Quin-

DE INFLAMMATIONE. 7

Quinetiam eodem tempore forfitan error loci eoufque incidere potest, ut fanguis in vafa, quae nihil aliud, quam humorem decolorem, ante vexerunt, ingredi possit cogi.

Supra posui excitationem potestatis nervosae a quantitate sanguinis in parte qualibet pendere. Igitur, inflammatione substante, cum impetus sanguinis intenditur; et ob hoc cursus ejus ad certa loca major fit, sensibilitas nervorum in hisce augebitur. Hoc autem, ut gradus doloris insolitus in parte laborante, irritatione ei illata, sentiatur faciet. Dolor idcirco explicationem facilem recipit.

Tumor vero a vasis sanguiferis tensis, et humoribus serosis in substantiam telae cellulosae effusis, oritur.

DIAGNOSIS.

Haec quidem vix necessaria. Cum vero inflammatio febrim et exanthemata referat, quae signa illam ab his fecernunt leviter percurram.

Quae

8 DE INFLAMMATIONE.

Quae hoc praestant, ea sequentia esse videntur. Febrim plerumque antecedunt lassitudo et debilitas, et per ejus decursum remissiones et exacerbationes semet evidenter ostendunt. Nihil autem hujusmodi in inflammatione reperitur, quam, contra, comitatur dolor fixus, unoque loco circumscriptus, functionibus partis laborantis interpellatis adjunctus. Supervacaneum foret signa, quae inflammationem externam ab aliis morbis fecernunt, commemorare, cum ob oculos obversentur, et igitur per se satis evidentia et manifesta sint.

Quod exanthemata ab aliis morbis distinguit, id est eruptio quae febrem semper subsequitur. In inflammatione, contra, febrem excipit affectus loco proprius.

CAUSA PROXIMA.

Inter omnes fere hodie convenit, impetum sanguinis adauctum in vasis partis laborantis subesse, et hunc ab actione vasorum ipsorum intensam,

tenfa, magna ex parte oriri. Proximum igitur est, ut causam hujusce actionis adauctae investigare, et hanc pro causa inflammationis proxima habendam esse ostendere, pro virili contendam.

Non raro opis est nostrae plane videre, inflammationem a stimulantibus certo loco applicatis oriri, quo in exemplo nullam aliam morbi causam quaerimus; cum vero hoc non semper facere, nec cum ratione gravi iustaque rem ita sese habere ponere possimus, aliquam causam magis universam reperire conemur oportet.

Causam autem actionis adauctae alii medici aliter explicaverunt. Viri celebres Bellini et Boerhaavius, opinionum, quae nuper ab omnibus fere fuerunt receptae, auctores praecipui theoriam inflammationis suam ab obstructione deduxerunt, et hanc igitur pro omnium signorum, quae per totum morbi spatium accedunt, causa habuerunt. Quinetiam existimaverunt, tot vasis sanguiferis hoc modo imperviis redditis, velocitatem sanguinis in iis, quae aperta manent et obstructione carent, praeter consuetudinem magnam esse oportere, et tantam quanta cor stimulet, febremque, quae inflammationem plerumque comitatur, faciat, evadere posse. Quamquam haec doctrina primo intuitu probabilis esse

se videatur, obstructionem tamen, quatenus incidit, non causam inflammationis primariam esse opinor. Namque, si obstructionem oriri concedas, impetus sanguinis in vasculis extremis adeo imminutus est, ut quodlibet obstaculum offendens motum retrogradum facile subeat, donec ramulos obstructionis expertes, per quos libere possit transire, reperiat. Hallerus illustris affirmat, naturam hoc ipso consilio magnum ramorum in vasis minutis, qui inter sese conjunguntur vel anastomoses faciunt, numerum comparandum curasse. Idem auctor addit, vasa corporis humani sanguifera adeo laxa et distensu facilia esse, ut eousque possint dilatari, ut inusitatam sanguinis quantitatem per se transire patiantur, nulla irritatione, quae inflammationem valet movere, subsequente. Quantum doctrinam spectat, quae velocitatem sanguinis in vasis apertis augeri ponit, principiis falsis innititur; namque contrarium, dum vis propellens eadem manet, incidere haud dubie probatur. Insuper notissimum est, arterias, dum haemorrhagiae aneurismique sanantur, ligatas sanguinis cursum in vasis minutis et in majoribus interpellare; sed nihilominus majorem inflammationem quam
 quae

quae a parte per vulnera sibi illata orta fuisset, non progenerare.

Swietenius illustris, in suis in Aphorismos Boerhaavianos commentariis, argumentum in medium profert, quod obstructioni plurimum favere existimat, cor, nempe, vinculo aortae descendentis injecto, vi et celeritate duplicibus semet esse contracturum. Hoc vero de obstructione vasorum sanguiferorum minorum perperam adhibetur; eam enim nulla ex parte suffulcit, cum aorta descendens partem systematis longe majorem, quam vascula extrema, constituat. Quinetiam ligatura aortae, tam prope cor circumdata, evacuationem hujus impedit, et ita, ut violentius agat, faciet.

Qui doctrinam obstructionis propugnant, ii sanguinem praeter naturam lentum et viscidum evadere posuerunt; hoc vero iis quoque assentiri non possum. Quod autem illis in animum, ut lentorem pro causa inflammationis haberent, induxit, id forsitan fuit crusta coriacea, quae sanguini, inflammatione substante, plerumque innatat, quamque statum sanguinis morbidum indicare, et quantitate praeter naturam subito augeri posse crediderunt. Caeterum, inter omnes fere auctores hodie convenit, hanc crustam a
 nulla

nulla conditione sanguinis morbida proficisci, nec inflammationi esse propriam, nec repente posse prognerari. Namque, si sanguis aegroti, die quinto sextove postquam pus variolosum ei fuit insitum, detrahatur, nulla forsitan lymphae coagulabilis praeter naturam quantitas a reliquis sanguinis partibus separata reperietur: Duodecim vero horis, postquam febris accessit, semet perquam evidenter ostendet. Unde sanguinem ad lympham coagulabilem a reliquis, quae eum componunt, partibus disjungendam subito proclivem evadere, sed quantitatem non subito formari posse concludo. Immo ratio gravis non deest cur credamus, hanc lymphae coagulabilis separationem in sanguine misso et concrefcente, quanquam sanguis, dum vasis circumvehebatur, praeter consuetudinem fluidus esset, semet ostensuram. Namque compluria probabile reddunt, sanguinem, inflammatione urgente, ob motum ejus rapidiorem, ab actione vasorum adaucta pendentem, solito tenuiorem effici. Quod si incidit, tardius cogetur, et ob hoc, quodque rarior est, globuli rubri cum reliquis partibus minus arcte conjunguntur, et imam calicis partem celerius copiosiusque petent, quam cum nec unum nec alterum incidit.

Si

Si vero lympham coagulabilem in una parte praeter naturam augeri poneret, crescere pergeret, in totum systema diffunderetur, et circuitum in vasis minutis omnino interpellaret. Igitur inflammationem a sanguine viscido, lentore obstructionem vasculorum extremorum faciente, ut causa primaria, potissimum cum febres per timorem et similia subito excitari videamus, nunquam oriri posse opinor. Insuper, in hanc sententiam lubentius concedo, quod plane fuit demonstratum, vasa minuta non conica sed cylindrica esse, et obstructionem in iis igitur non posse formari.

Satis clare, uti spero, demonstrato, obstructionem inflammationis causam non esse primariam, proximum est ut quidnam mihi ad phaenomena hujusce morbi propria exponenda potissimum accommodari videatur commemorem.

Corpore sano et integro, sanguis in omnes systematis partes iuxta quantitate diffunditur. Si vero, ob frigus collectum, perspiratio supprimatur, vel nimia humorum quantitas, ob quamlibet aliam rationem, ad certam corporis partem devehatur, partem distendet et stimulat, et actionem ejus systematis arteriosi adauctam movebit, quae, ut vires naturae medicatrices, per frigus

gus febrile spasmusque illatum accumulationis tollendae potentius agant faciet. Quo attentius quae in febribus incidunt confidero, eo magis animus mihi inclinatur, ut hunc systematis arteriosi extremi spasmus pro causa inflammationis proxima habeam. Fidem huic opinioni hoc quoque facit, quod partes inflammationi maxime opportunae, tales sunt quales mutationibus caloris et frigoris plurimum objiciuntur. Ita dolores rheumatici, et affectus faucium et pulmonum inflammatorii, genus humanum saepissime infestant. Hic spasmus autem, in contractilitate tonoque praeter naturam finibus systematis arteriosi illato consistens, brevi, si inflammatio sit magna, in universum diffunditur, et quod medici diathesin phlogisticam appellarunt constituit. Quae potissimum, quod hanc doctrinam ulterius confirmat, in valentioribus corporibus reperiunda, et saepissime a viribus frigoris tonicis et astringentibus, vel ab usu remediorum tonicorum, ut corticis Peruviani, vel chalybeatorum, proficiscitur. Et, licet ab inflammatione loco certo propria frequenter profluat, in systemate tamen, nulla inflammatione subsequente, adesse potest; sed proclivitatem ad ortum spasmum, et igitur ad inflammationem, semper praebet.

FINES

FINES INFLAMMATIONIS.

In historia morbi tradenda fines ejus varios esse memoravi. Nunc proximum est, uti singulos ordine exequar. Agam

1. *De resolutione.*—Si inflammatio, textura partis nec laesa nec deleta, decedit resolutione, quae tribus modis incidere potest, dicitur finiri.

Prima autem ejus species est, cum accumulatio humorum spasmusque vasorum modica sunt, et impetus sanguinis adauctus spasmum vincere, vasa dilatare, et humores accumulatos removeere valet. Namque, rebus ita se habentibus, sanguis aequè libere, ac olim, circumvehetur; et pars laborans ad sanitatem solitam brevi reducetur. Morbum tamen omnino hunc in modum raro pergere, et formam resolutionis magis communem esse eam, quam auctores exudationem appellarunt, mihi persuasum est. Igitur species resolutionis altera est, cum, impetu sanguinis adaucto et distensione vasorum iisdem manentibus, quantitas humorum vulgo exhalantis praeter consuetudinem magna in telam cellulofam

lulofam vicinam effunditur, vel plus humoris in locum non longe distantem, quam solet, excernitur. Hoc modo congestio spasmusque per molem humorum generalem imminutam tolluntur, et sanguis libertati, qua circumfluit, solitae restituitur. Qui humor exhalavit, is postea per vasa lymphatica absorbentia in massam sanguinis communem devehitur.

Tertia species est, cum inflammatio, impetu sanguinis et febre universis factis, per sanguinem ex aliqua systematis parte, quamvis ab ea quae potissimum laborat diffusa, profusum depellitur. Ita spasmus solvi, morbusque sanari, epistaxi, haemorrhoidae, menorrhagiæ, potest.

2. *De suppuratione.*—Cum impetus sanguinis, ut supra posui, nihil aliud quam vasa, eoque tantum, ut humorem tenuem halitui communi non dissimilem effundant, exhalantia dilatari valent, hic brevi rursus absorbetur, et affectui resolutio, uti appellatur, medetur. Si vero spasmus vasorum impetusque sanguinis violentiora evadant, et exhalantia præter magnitudinem solitam dilatentur, aliquantum feri sanguinis in telam cellulofam vicinam effundetur. Hoc in lymphatica non facile ingreditur; partes vero ejus tenuiores absorbebuntur, et lymphæ coagulabilis,

labilis, quae ferofitate fanguinis foluta eft, in liquorem albidum, opacum, modice vifcidum et mitem, qui pus appellatur, mutabitur. Deinde rubor, calor, et dolor, quae ante inflammationem fubefle teftabantur, decedunt, et morbus fuppuratione finiri dicitur.

Mutatio humoris effufi in pus non parum attentionis auctorum in fe convertit, et diverfae hypothefes fuper ea fuerunt excogitatae. Illuftris vero Pringelius, et Gaberus Taurinus, veftigiis ejus infiftens, in fuis in fanguinem experimentis, eam accurate primum explicarunt. Ille oftendit, ferum in calore corporis humani proprium adaequante fervatum, fedimentum puris omnino fimile deponere, et hic compertus eft fedimentum ex illa fanguinis parte, quae lymphae coagulabilis vocatur, formari. Nihil igitur obftat, quo minus ferum in telam cellulofam, inflammatione pergente, effufum, fimilem mutationem poffit fubire, praefertim cum experimenta fupra comprehenfa et ea, quae, tumore ad fuppurationem perveniente, incidunt, femet invicem tantopere referant. Compertum enim habetur, calorem, qui gradum thermometri Farenheitiani octogefimum non attingit, effectum multo tardius, quam corporis humani proprio aequa-

†

C

lem,

lem, edere, et nihil suppurationem aequè promovere, ac perspirationem cohibere et calorem partis laborantis sustentare et augere.

Pro certo vero affirmare possumus, morbum suppuratione finitum iri, si inflammatio diu maneat, et nulla resolutionis signa habeat, si dolor a distensione oriundus aliquantum remittat, si ictus arteriarum pleniores et molliores evadant, si pulsatio ictibus arteriarum respondens incidat, si nonnihil horroris subfit. Quamvis vero suppurationem orituram esse novisse possumus; longitudo tamen temporis, quod ad eam absolvendam necessarium est, nos ex toto latet.

Tumorem quemlibet ad suppurationem perfectam pervenisse testantur dolor ruborque cessans, pondus et fluctuatio in parte saepissime percepta, tumor acuminatus, et, si proxime cutem sedeat, macula in parte ejus maxime dependente subflava.

Cum tumor vel abscessus inciditur, pus reperitur, quod Pringelius et Gaberus, ut supra retuli, e lymphâ coagulabili confici probarunt. Hoc autem stagnando partem telae cellulosae et integumentorum quoque consumit. Vasa sanguifera minima quoque nonnunquam eroduntur, quod facit ut pus sanguine aliqua ex parte interstinguatur.

interstinguatur. Materia quoque subfusca in abscessibus aliquando reperitur, quod a cruore sanguinis in pure dissoluto oriri probavit illustris Pringelius. Quanquam enim serum purum effunditur, quod solum pus laudabile suppeditat; nullum tamen, propterea quod ea inflammatio, quae ad mutationem ejus necessaria est, abest, progeneratur, et, abscessu aperto, nihil praeter ichorem tenuem apparet. Quod cum incidit, incommodo per usum quorundam stimulantium, ut balsamorum, mercurii, cupri, et similibus, occurrere studemus.

3. *De gangraena.*—Tertius inflammationis finis, cujus mentionem fecerunt auctores, est gangraena, quae a causis diversis oriri vulgo iuit dicta, et primum a putrido fermento effuso, quod in superficie partis stagnans eam corrumpit. Hujus exemplum luculentum febribus in putridis habemus, ubi viscera, cadaveribus incisis, gangraena laborare inveniuntur. Ita magna globulorum rubrorum quantitas, una cum sero effusa, ut humores effusi ad putredinem potius, quam ad formationem puris, vergerent, fecisse reperta. Huic quidem gangraenae causae obijci potest, quod in exemplo partium contusarum, et aliquando post sanguinis detractionem, quantitas

quantitas globulorum rubrorum non parva effunditur, et longum per spatium non absorpta manet, nulla gangraena subsequente. Hic vero notandum est, partem alioquin esse illaeram, exhalationem et absorptionem more solito pergere, et ita globulos rubros stagnare non permitti, et hoc in casu inflammationem, et ejus sequelam, calorem adauctum, deesse.

Tertia gangraenae causa est tonus partis imminutus. Quae violenta excitatio incidit, ea ortum hujus facile explicat. Namque ex principiis physiologicis discitur, fibram muscularem nimis distensam tonum et contractilitatem amittere. Jactura autem toni vasis sanguiferis illata, ut in sanguinem non amplius rite agant, faciet, qui, eam ob causam, stagnabit et putrescet. Dum haec putrido humoribus effusis circumscribitur, morbus gangraena; cum vero, ob eosdem in aliqua parte nimis diu detentos, vel ob proclivitatem ad putredinem majorem, vasa partesque illis circumdatae quoque corripuntur, sphacelus appellatur.

Proclivitatem ad gangraenam subesse demonstrant summa morbi violentia, in complures dies ne minima ex parte quidem imminuta, et febris concitata manens. In aliqua parte interna jam
 incidisse

incidisse novimus, si dolor subito eo usque remittat, ut aeger semet ex toto convaluisset credat, si sudores frigidi cum horrore accedant, si pulsus arteriarum frequentes maneant, et magis exiles et debiles evadant. Hoc in statu syncope accedit, et non raro aegrotum insperato rapit. Gangraena quamlibet partem externam modo sequente invadit: Partes e splendido-rubris lividae vel subnigrae fiunt, et motum et sensibilitatem perdunt, cuticula eodem tempore in vesiculas ichore tenui repletas elevata. Gangraena pergente, pars ex toto nigra et flaccida evadit, calorem et firmitatem amittit, et odorem cadaverosum emittit. Cum huc usque processit morbus, sphacelus appellatur. Aliae gangraenae species ab auctoribus memoratae sunt, quales sunt albida et sicca, et ea quoque cujus meminit illustris Pott. Cum vero nullae harum ab inflammatione orientur, non opus est ut eas hoc in loco considerem. Igitur quartum inflammationis finem, cujus nonnulli auctores mentionem injecerunt, referre pergam.

4. *De schirro.*—Certas indurationes post inflammationem nonnunquam reperiri, nequaquam negandum. Cum hae vero partes glandulares et parenchymatofas potissimum teneant, in quibus,

bus, ob statum et texturam, motus sanguinis admodum tardus est, et forsitan stagnationem incidere facile patitur, non mihi persuasum est, schirrum ab inflammatione, ut causa primaria, oriri. Animus mihi magis inclinatur, ut credam, ante subesse, et, inflammatione accedente, augeri et in speciem forsitan abscessus singularem converti posse. Nihil amplius igitur super eo addam.

Memorandi supersunt etiamnum alii inflammationis fines, ad quos nisi nuperrime animum parum attenderunt auctores. Horum autem primus est, cum inflammatio prope quamlibet partem laxae cellulosae texturae est, aliquantum sanguinis ibi, vel per rupturam vel per anastomosis, effundi potest. Hic forsitan finis pneumoniae frequentissimus funestus est; namque sanguis in textura pulmonis laxa cellulosa stagnans circuitum sanguinis impedit, et igitur suffocationem faciet.

Alia via, qua inflammatio finire consuevit, subsequitur. Cum prope superficiem corpoream sedet, aliquantum feri subter cuticulam effunditur, quam in vesiculas elevat, et ea effusione tensio spasmusque vasorum, ut in erysipelate incidit, tolluntur.

Inflammati

Inflammatiō denique per exudationem in quodlibet cavum finire potest, ubi sub forma concretionis in superficie viscerum, quae cavum comprehendit, viscidae, vel humoris serosi in cavum effusi, semet ostendit. Posterius incidere probat hydrothorax pneumoniam excipiens.

CAUSÆ REMOTÆ.

Hae autem, me iudice, in praedisponentes, aut seminia, et excitantes apte dividi possunt. Seminia sunt temperamentum sanguineum et corporis plenitudo.

Illud adesse testantur, conditio corporis plenior, et textura praeter consuetudinem delicata; cutis mollis, tenuis, et laevis, venae amplae. Qui hoc temperamento sunt praediti, ii majorem quoque sensilitatem et irritabilitatem, pulsus arteriarum celeriores, motumque sanguinis liberiores, quam quae in aliis temperamentis reperiuntur, habent. Igitur in primis plenitudini, haemorrhagiis, febribus, et affectibus inflammatoriis, patent. Namque intellectu facile est, quodlibet irritans mortalibus hujuscemodi ad-

motum

motum effectus violentos editurum esse, et hos quoque in alias systematis partes, quod sensibilitas major, quod venae ampliores, et igitur plus contractilitatis habent, brevi diffusum iri.

Quomodo plenitudo corporea proclivitatem ad inflammationem possit dare, manifestissimum. Tensionem fibris muscularibus augendo, et plus igitur potestatis contractilis illis conciliando, fundamenta distributioni sanguinis inaequali et congectionibus inusitatis plane jacit.

Causae excitantes sunt, stimulantia cuilibet corporis parti applicata, violentia externa, extranea in qualibet corporis parte inhaerentia, frigus, impetus sanguinis adauctus partem singularem versus factus. Haec Cullenus celeberrimus ordine modo posito enumeravit, et pro causis inflammationis remotis habuit. Quamquam vero, ut causas remotas, nullo seminio substantive, agere posse; potentius tamen, si proclivitas ad morbum detur, actura esse opinor.

Primae eorum classis annumeranda est tota stimulantium externorum tribus, et calor quoque, qui ad certum gradum usque adauctus inflammationem evidenter movet. Quotus tamen hujusce caloris gradus sit, pro certo nequit affirmari. Plerique calorem gradui thermometri
Faren-

Farenheiteani centesimo duodecimo parem in tempus ferre possunt, et calor corporis in morbis, quod omnes norunt, eundem gradum prope modum adaequavit. Hoc vero compertum habetur, gradum caloris centesimo et vicesimo ejusdem thermometri aequalem inflammationem semper esse facturam. Huic classi quoque accenseri potest acrimonia interne generata et in certis partibus deposita, erysipelas et alia exanthemata movens.

Classis altera vulnera, contusiones, et similia comprehendit. Haec solida stimulant, et actionem vasorum adauctam faciunt, et cursum sanguinis inusitatum partem affectam versus progignunt.

Cum ea, quae sub tertia causarum excitantium classe comprehenduntur, formam acuminatam habent, vel acrimonia chemica praedita sunt, irritationem et ejus sequelas celeriter movent. Si vero nec hoc nec illud incidat, pondere tantum et mole, vel partes quibus super imponuntur comprimendo, inflammationem excitare valent. Et quo inflammatio exfuscitetur, semper necessarium est, ut partes circumdatae non parum irritabilitatis habeant; namque alioquin diutissime in corpore manebunt, nihil irritationis

†

D

moventia,

moventia, ut e globulis plumbeis, quae in corpore longum per tempus inhaeserunt, et nullam inflammationem fecerunt, discere licet. Illustris Swietenius duos casus refert ubi corpus peccans per complures hebdomadas mansit.

In quarta classe collocatur frigus, cujus potestates sunt astringentes, stimulant, et sedantes. Ad quotum vero gradum singuli ex hisce effectibus incipiant, nondum satis accurate et certo fuit statutum. Hoc tamen c. mpertum habemus, frigus, quod ad inflammationem excitandam sufficit, omni in exemplo eo esse minus, quod gangraenam vel stagnationem humorum in vasis universam facit, et apud Britannos corpori humano nunquam nocere, nisi infra gradum thermometri Farenheiteani sexagesimum secundum descenderit, et etiam, rebus ita se habentibus, intense, in tempus diuturnum, et magnae corporis parti admoveri oportere. Alioquin enim vis caloris procreatrix, corporum animalium propria, effectibus ejus obfisteret. Igitur, cum frigus hoc modo graduque corpori applicatur, vasa constringit et stimulat, et potentius hoc praestat, si pars corporis, cui admoveatur, ante fuit calefacta, et vasa igitur humoribus distensa, qui nunc partem affectam versus quanti-

tate

tate insolita feruntur, unde vasa distenduntur, dolor movetur, et actio virium naturae medicatricium, ut supra fuit comprehensum, excitatur.

Quo jure impetus humorum adauctus partem singularem versus factus, pro causa inflammationis remota debeat haberi, e supra comprehensis facile intelligetur.

PROGNOSIS.

Qualis morbi eventus sit sperandus, optime indicabunt causae inflammationis excitantes, sedes morbi interna vel externa, habitus aegroti corporeus, proclivitas denique morbi ad fines majus minusve periculosos.

1. Quantum causas excitantes spectat, per se satis manifestum est, effectus causis eos edentibus pro rata ratione responsuros. Si igitur actio vaporum et sanguinis velocitas multum adaugeantur, vix ulla spes fovenda, inflammationem inde ortam resolutione finitum iri; absorptio enim non rite perget, et serum integrum effundetur. Quo in exemplo nihil aliud, quam suppuratio, expectandum. Rursus, si actio systematis sanguiferi

guiferi motusque humorum eo usque, ut tonum partis injuria affecerint, intendantur, et praesertim si quantitas crassamenti sanguinis eodem tempore effundatur, non est cur speremus suppurationem incidere posse; cum nec actio systematis nec humoris effusi natura, ad hocce consilium accommodetur.

2. Eventus morbi magnopere pendeat a majore vel minore partis laborantis sensibilitate, et a magnitudine inflammationis et profunditate; pro his etenim signa majus minusve gravia orientur; a partibus externis vel internis correptis, quarum posteriores plus sensibilitatis plerumque habent; et denique a cursu sanguinis majore vel minore, cerebrum, pulmones, vel alia summi momenti viscera versus facta.

3. Cum vix duo homines temperamenti omnino ejusdem sint, prognosis pro habitu corporeo diverso erit diversa. Ita in iis, in quibus diathesis phlogistica dominatur, quique duro labore sunt assuefacti, signa fere semper concitatissima erunt, et, contra, in debilibus operique infuetis curatio plerumque facilis esse reperietur.

Denique, quantum ad terminationes attinet, gradus periculi a singulis earum oriens variat, ut rite consideratae evidenter ostendent.

Ita,

Ita, si signa morbi diversa attenti et seduli perpendemus, probabilem saltem conjecturam de eventu facere semper valebimus.

RATIO MEDENDI.

Ad partem argumenti principem, curationem morbi nempe, nunc ventum est. Non alienum esse videtur hoc in loco notare, inter auctores, utcunque de morbi theoriis inter sese diffenserunt, de ratione medendi plerumque magna ex parte convenisse.

Quoniam fines morbi diversi sunt, consilia quoque medendi diversa necessaria evadunt. Cum vero resolutio ante omnes reliquos sit exoptanda, cumque proclivitas morbi ad quemlibet alium, sub initium saltem, non manifesta fit, consilia generalia, huic accommodata, memoranda primum curabimus.

1. Causas remotas, cum evidentes sunt et agere pergunt, tollere.

2. Diathesin phlogisticam, vel systema universum vel partes singulares afficientem, remove.

3. Spas-

3. Spasmmum partis singularis, per remedia, systemati universo partive ipsi admota, depellere.

Consilio primo respondebit, ad irritamenta singularia, quae adfunt morbumque movent, animum attendere. Ita omnia acria tollenda, vel, si hoc fieri nequit, actio eorum demulcentibus et corrigentibus specificis praecavenda. Extranea in corpore inhaerentia extrahenda, ubi facile factu est, et ubi hoc conari non plus doloris, inflammationis, et periculi, quam eadem in parte manere permittere secum adduceret. Omnis partis compressio et nimia distensio auferenda.

Consilio alteri respondent,

1. *Regimen antiphlogisticum.*—Si hoc rite adhiberetur, usum aliorum remediorum minus necessarium, vel efficaciam eorum certiore efficeret. Cum enim nihil phlogisticam diathesin magis, quam irritatio, augeat, ita, haec sublata, ad illam removendam non parum conferat necesse est. Hoc regimen autem in aegroto refrigerando consistit; quoniam calor, sive ab interne sumptis, vel ab accumulatione caloris externi oriatur, systema nervosum magnopere stimulat. Quinetiam omnia irritamenta, in sensus internos vel externos agentia, tollere conveniet, qualia sunt exercitatio corporis animive, sensus molestiae

molestiae singularis a siti pendens, cruda in ventriculo, faeces in intestinis accumulatae. Insuper, omnis stimulus ab alimentis sumptis proficiscens fugiendus. Cibum igitur sit levissimus et quantitate modicus.

2. *Sanguinis detractio.*—Haec universa vel topica esse potest; sed effectus earum, quamvis revera iidem sunt, seorsim considerandi.

Hac in re cum omnes consentiant, tensionem systematis sanguiferi a quantitate sanguinis, quam comprehendit, pendere; eam quantitatem igitur minorem efficere, tensionem imminuet, et missio sanguinis universa hanc ob causam remedium potentissimum, quod novimus, esse reperitur, cum actionem vasorum sanguiferorum, et idcirco diathesin phlogisticam, tollere volumus. Rem ita sese habere adeo notum est, ut in modum, quo agat, inquirere non necessarium esse videatur. Missio sanguinis in exemplo inflammationis sub initium morbi utilissima est. Frequenter necessaria quidem nonnunquam evadit; sed post quartum quintumve diem non aequè prodest. Quoniam vasa, una sanguinis detractioe liberali, quam parvulis reiteratis, magis relaxantur, quantitatem non modicam uno tempore elicere praestat. Hujus vero magnitudo a gravitate

gravitate morbi, ab aetate, vigore, et plenitudine aegrotantis, et consuetudine sanguinem mittendi priore magnopere pendebit. Subita depletio systema plurimum levabit, potissimum si aegrotus in positura ab omni irritatione liberrima collocatur. Igitur aegrotus, si fieri potest, in horizontali habeatur, et sanguis per incisionem amplam emittatur. Detractiones sanguineae reiterentur oportet, prout gravitas morbi summumque partis laborantis momentum desiderabunt. Univerfa sanguinis detractio tamen, omnibus hisce cautelis etiam adhibitis, votis nostris non semper respondebit, et igitur ad topicam decurrere saepe cogimur. Hanc praestant scarificatio, hirudines, cucurbitulaeque cruentae adhibitae. Quod sanguis parti ipsi, vel quam proxime eam, detrahitur, plerumque prodest, etiam modica, praesertim reiterata. In exemplo etiam affectus systematis generalis, partem laborantem relaxando, systema totum levare potest.

Alvi purgatio.—Haec ut evacuatio in curatione inflammationis fuit adhibita; sed, meo iudicio, non cum successu aequo prospero, ac multi existimaverunt. Non quidem negandum est, largam evacuationem, magna humorum quantitate in canali alimentario subsistente, per eam fieri posse; memoria

memoria vero tenendum, humores lente, et haudquaquam directe, systemati sanguifero detrahi. Praeterea medicamenta, quae ad evacuationes largas faciendas accommodantur, intestina plerumque stimulo valentiore afficiunt, qui in reliquum systema diffundi, et igitur nocere, periclitatur. Quinetiam haec evacuatio, cum quantitas ejus nequeat mensurari, multum debilitatis facere potest, et revera fecit, et hanc ob rationem periculo minime vacat. Et in multis inflammationis exemplis, plus mali, hinc quod alvi evacuandae saepius turbatur, quam commodi ab evacuatione capit aegrotus, ut e rheumatismo acuto clare evidententerque constat. Purgatio quoque revulsionem faciendo agere dicta fuit. Si hoc modo unquam prodest, effectus suos salutare in affectibus partium corporis superiorum inflammatoriis, ut in phrenitide evidentissime ostendet. In summa, boni purgationis effectus, me judice, in intestinis ab irritatione liberandis, quod faeces induratas ibi accumulatas expellendo praestant, consistere videntur; et igitur in locum eorum cum fructu substitui possunt enemata, quae alvum solutam aequae facile tenent, et, si ex fatis acribus conficiantur, revulsionem aliqua ex parte facient. Insuper actio eorum

†

E

multo

multo certius, quam purgantium ore sumptorum, administrari et coerceri potest.

4. *Refrigerantia.*—Acida et sales medii potissimum adhibentur. Utilitas eorum in inflammatione a viribus refrigerantibus et sedantibus pendet. Illis calorem morbidum et sitim imminuunt, his motus systematis abnormes compescunt. Quidam sales metallici, ut in auxilium inflammationis prompti et vi refrigerante praediti, laudibus fuerunt elati; sed dotibus nocivis salutare excedentibus interne raro fuerunt adhibiti. Camphora quoque, ob vim refrigerantem, laudata fuit; sed effectus ejus plerumque admodum ancipites esse videntur. Ei vero insunt potestates sedantes non parvae, quae possunt prodesse.

Consilio tertio accommodantur interna vel externa. Interna autem sunt,

1. *Diluentia.*—Fluida sanguinis conditio, a quantitate humoris aquosi quae ei inest, pendet. Igitur eum magis fluidum efficere, amplam aquae quantitatem ingerendo, humores superfluos ad transcendendum per diversa corporis excernentia, et ad vascula extrema contracta dilatanda, parabit. Huic consilio convenit quilibet humor mitis, cujus partem satis largam aqua constituit,
ut

ut decoctum avenaceum vel hordeaceum, &c. Liquores vero hoc genus, morbo proVectiore, quam sub initium, magis profunt, quod spasmus eo tempore distensionem facilius cedit.

2. *Sudatio.*—Haec, cursum humorum ad superficiem corporis faciendo, et eosdem ut excernantur aptiores reddendo, spasmum vasorum extremorum relaxabit, et congestionem levabit. Ante diathesin phlogisticam per idoneas evacuationes sublatam adhibita eam, et igitur inflammationem, augebit; si vero medicamentis, quae conveniunt, diathesi phlogistica depulsa, et proclivitate ad sudorem semet ostendente, excite- tur, plurimum proderit, ut curatio rheumatismi acuti plane docet.

3. *Emetica.*—Haec in nonnullis inflammationis casibus plurimum prodesse reperta sunt; sed neutiquam semper sunt adhibenda. Utilitas eorum ab hoc pendere videtur, quod spasmum tollunt, et circuitum sanguinis liberiores et magis aequalem efficiunt. Quinetiam revulsionem faciendo forsitan agunt, et hoc potissimum in topicis inflammationibus praestare creduntur.

Alia classis medicamentorum internorum, quae ad spasmum tollendum accommodantur, est antispasmodica, quae quidem sunt admodum numerosa.

merosa. Quae vulgo in inflammatione adhibentur, ea sunt camphora et opium. Illius sub classe refrigerantium mentionem feci. Hoc vim potentem antispasmodicam habere, omnes confitentur. Caeterum, ob potestatem stimulantem, quam ei inesse multi credunt, vix in ullo inflammationis exemplo, dum diathesis phlogistica subest, adhibetur. Aliis vero remediis adjunctum, sublata diathesi phlogistica, cursum humorum ad superficiem certissime facit, et sudorem summo cum commodo, ut in rheumatismo, excitat. Infuper, diathesi phlogistica domita, certis signis efficaciter et potenter occurrit.

Externa sunt,

1. *Epispastica*.—Auctores de actione eorum plurimum inter sese dissenferunt. Alii potestati, quam habent, lentorem phlogisticum resolvendi, alii dotibus stimulantibus et evacuantibus, utilitatem tribuerunt. Nihil consilio hanc opinionum diversitatem propugnandi refellendive dicam, sed utilitatem eorum in inflammatione hinc proficisci opinor, quod aequilibrium circuitus mutant, et cursum humorum ad partem cui admoveantur faciunt, effusionem dantia et spasmus vasorum profunde sitorum relaxantia, ut e commo
modo

modo quod fecum adducunt topice applicata in pneumonia, ileo, &c. manifeste apparet.

2. *Balneum calidum.*—Ufui hujus fuit obiectum, quod sanguinem rarefacit, et calorem movendo systema universum stimulat. Huic incommodo vero magna ex parte occurrit humiditas eodem tempore corpori applicata. In usu satis frequente hodie est. Caeterum tutius adhibebitur, si gravitas morbi per evacuationes idoneas ante fuit imminuta. Effectus salutare, a calida lavatione sperandi, a relaxatione quam vasculis extremis infert proficiscuntur. Corpus universum in balneum immergere, saepe incommodum est; sed idem praestabunt fomenta et pediluvia, quorum posteriora revulsionem faciendo quoque profunt. Utraque, fomenta potissimum, e diversis, sub titulo emollientium, confecta fere; sed usus eorum, ut opinor, a calore et humiditate solis pendet.

Hoc modo remedia, quae resolutionis morbi promovendae adhiberi consueverunt, percurri; cum vero hic finis, quamquam nihil eo exoptatus, non semper contingat, necessarium est ut alias medendi vias, in quas in reliquis terminationibus debeat procedi, commemorem.

Cum,

Cum, quanquam inflammationem resolvere pro virili contenderimus, suppurationem esse ortam plane videmus, usu remediorum supra comprehensorum abſiſtamus oportet. Formatio enim boni puris certum caloris gradum in parte deſiderat, et remedia antiphlogiſtica potius nocerent, quam prodeſſent. Suppurationem promovere omni ratione conandum eſt. Hoc tutiſſimè et efficaciſſime præſtat calorem partis modicum conſervare (nãm inflammatio violenta formationem puris laudabilis aequè ac totus ejus defectus præcavet) et perſpirationem ejus cohibere. Utrique conſilio plerumque reſpondent cataplaſmata ampla, et emollientia parti laboranti tam calida, quam aegrotus ferre poteſt, applicanda, et frequenter per diem renovanda. Cum abſceſſum aperire et pus evacuare convenit, qua ratione fieri debeat, regulæ artis chirurgicæ communes docebunt.

Si morbus ad gangraenam proclivis eſſe videatur, ei venienti occurret momentum ſanguinis, ſi nimium fit, diminutum, vel ſyſtema, ſi atonia laboret, rite ſuſtentatum. Prius optime præſtant miſſio ſanguinis generalis, quæ vix reiteranda, laxantium leniorum uſus, et potiones refrigerantes : Poſterius cortex Peruvianus ſubſtantia

stantia et quantitate bene larga datus, usus vini liberalis, quaedam cardiaca, quae nonnunquam necessaria esse possunt, ut alkali volatile, confectio cardiaca, &c. Caeterum usum vini liberalem, si ad eum tempestive confugiatur, reliquis remediis longe praestare, et partem eorum maximam supervacaneam reddere, opinor.

Reliquis morbi terminationibus, quae chirurgis, potius quam medicis, considerandae, optime occurrent regulae de resolutione supra traditae.

F I N I S.

